Reverendo in Chro dno: Domino Nicolao
ab Amsdorff Epo Numburgensi, domino
et patri suo observando

S. Etiamsi nihil responsum Reverende Domine pater et compater observande, ad priores literas expectandum erat, tamen cum quidam studiosi visendae inclytae et celeberrimae urbis vestrae gratia hinc proficiscerentur putavi nequaquam scribendi officium intermittendum esse. Basiliscus Bohemicus indixit conventum Pragae quod certum est. De Hunnis equitibus, quos Husseros vocant, fama quidem spargitur venturos cum aliis ad obsidionem vestrae urbis, sed ista incerta sunt, imo non credo, sicuti ex quibusdam audivi. Noster 19. Januarij venit Augustam unde cum Epo profectus est obviam filio Imperatoris, qui iam Bavariam attigisse fertur.

Ex Bremensi urbe. 5. dieb. quidam vir doctus et pius scripsit nobis tales literas, tam plenas consolationis non spiritualis sed corporalis, quales in biennio non legimus. Videtur brevi maxima conversio rerum futura. Hodie legi literas Regis Danici

ad D. Pomeranum plenas pietatis et Christianae constantiae. D. Schnepffius pulsus ex Tubinga ubi superattendens fuit, exulat apud Comitem de Heineck, scripsit ante biduum D. Phil: et petit conditionem ecclesiasticam. Exulant hic quidam ex Suevia apud nos pij Concionatores.

Nos in hac senectute omnia quod unicum possumus, et veterem doctrinae et religionis statum retinere et asserere pro nostris viribus conamur.

Si quid edendis talibus famosis libellis, ubi author nomen suum fateri non audet, proficitur, qualis nuper apud vos editus est, edantur sane plures. Sed credo tuae Excell: talia scripta non probari. Erit fortassis quando aliquando conflictationis adornatio. Si verum monerem talium librorum authores nostros, ne ita praecipitarent editiones. Bene vale pater Reverende et observande. Witemb: .12. februarij Anno 1549.

T. Georg: Maior

Discerpe quaeso literas mox postquam legeris.